



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VI. An sicut conjugale vinculum non dissolvitur, altero conjugum fidelium in heresin vel infidelitatem lapso, ita etiam si unus ex infidelibus convertatur ad fidem, dissolvatur vinculum conjugij & ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

que tamen hoc tam carnale, quam spirituale adulterium excipitur, illud quidem ob fidem thori fractam, hoc ob periculum perversionis. Quod si tamen uxor à viro in hæresin lapsa, propria auctoritate divertis, compelli potest, ut ad eam, si fidem iterum amplectatur, redeat; si verò per iudicium Ecclesie ab eo separata fuit, compelli non potest, ut ad eum convertum redeat, *c. De illab. h. r.* positio quod religionem ingressa, & professa fuerit (ut ne scilicet textus *hujus a. De illa*, & sequentis capituli contradicant sibi) quod facere liberè potest.

## §. VI.

*An sicut conjugale vinculum non dissolvitur, altero conjugum fidelium in hæresin vel infidelitatem lapsa, ita etiam si unus ex infidelibus conjugibus convertatur ad fidem, dissolvatur vinculum conjugii & conversus aliud matrimonium inire possit?*

R Respondetur per hoc, quod unus fidelium in hæresin vel infidelitatem labatur, non dissolvi vinculum matrimoniale, ut ex dictis jam patet, patet tamen etiam ex c. *Quanto 7. h. r.* quod si ex conjugibus infidelibus, alter ad veram fidem convertatur, & transeat, altera in sua infidelitate permanente, & vel omnino non, vel non sine blasphemia divini nominis cohabitare volente, vel ut pertrahat convertum ad peccatum mortale, ac pervertat, poterit conversus, ad secunda vota transire, relicta pertinaci & perversa conjugis, in sua infidelitate; quod hodie etiam in eo casu præceptum est, quo infidelis conjux cohabitare vel

*Compend. Pirking.*

let conjugi fideli, etiam sine injuria creatoris, & sine inductione ad peccatum grave, ob periculum saltem seductionis, sive deinde hoc subsit ex propria fragilitate, sive ex malitia infidelis, concedente domino hanc matrimonii dissolutionem in favorem fidei. Probabilius tamen est, quod matrimonium in tali casu fidelis taliter converti cum infideli non dissolvatur ipso jure, per solam conversionem, sed tum demum, quando conversus aliud matrimonium inivit, quia si velit relicta in sua infidelitate uxor v. g. sequi postea maritum, & ad fidem etiam converti, vel saltem cohabitare illi sine injuria creatoris, & sine inductione ad peccatum mortale, tenetur eam fidelis maritus, si nondum alias nuptias contraxit, recipere, in baptismo enim non conjugia, sed crimina solvuntur.

## §. VII.

*Proponuntur & resolvuntur alie quæstiones circa matrimonium infidelium, conversorum ad fidem Christianam, & divortium inter illos instutuendum.*

EX c. *Gaudemus 8. h. r.* habemus primò, quod infideles in gradibus à jure Canonico tantum prohibitis matrimonialiter conjuncti, non debeant à se invicem separari, si postmodum ad fidem convertantur, cum illi in sua infidelitate constituti legitime contraxerint, nullo impedimento, purè Canonico, eorum matrimonia dirimente, eò quòd Ecclesia nullam in illos habeat tum temporis jurisdictionem, & eorum in infidelitate contracta matrimonia, verissi-

V u u m m u n a